TOMI I. PARS XX.

JACOBI
EPISCOPI LAUDENSIS,

In Constantiensi Concilio literis, consiliis & autoritate eminentis,

SUMMOPERE IN CONCILIO LAUDATA

IDEA MELIORIS PONTIFICIS IN CONSTANTIENSI CONCILIO ELIGENDI.

Ante ingressum in conclave
A. 1417. d. 8. Nov.
Solennissima Oratione in publico Concilii consessu
SIGISMUNDO IMPERATORE PRÆSENTE
elegantissime descripta ac Electoribus serio commendata.

FELICISSIMIS AUSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI
DN. RUDOLPHI AUGUSTI
BRUNSVIC. AC LUNÆBURG.
DUCIS &c.

Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI
depromta ab
HERMANNO von der Hardt.

FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
IN OFFICINA CHRISTIANI GENSCHII.
HELMESTADI, Typis SALOMONIS SCHNORRII, 1697.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

MSCt. VINDOBONENSE
Tomo IV. Actorum Concilii Const.

* *
*

Sermo
prædicatus
in
CONCILIO CONSTANTIENSI
a
Venerabili
EPISCOPO LAUDENSI
antequam intraverunt conclave
Cardinales
& ceteri
electores.
(A. M CCCC XVII. d. 8. Nov.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HERMANNUS von der Hardt.

Lectori S.

SAluberrimum emendationis Ecclesiasticæ negotium, tot votis & precibus publicis hactenus à Sigismundo Imperatore ac Nationibus in Concilio expetitum, cum aliter impediri in Concilio non posset, in lites ac conflictationes acerbas tandem abiit. Etsi enim *vulnera Ecclesiæ* negari non possent, qvæstio tamen de *Medico* mota. Num Ecclesiasticum statum reformaret *concilium*, an in *Pontificem* eligendum grande hoc munus esset differendum. In diversas scissi partes Concilii Patres, *Cardinalibus* præcipue, dein etiam *tribus Nationibus, Italica, Gallica & Hispanica*, Pontificem medicum ac reformationis antistitem desiderantibus, *Imperatore Sigismundo*, cum *Germanica & Anglica* nationibus, Concilio illi universali hoc reformandi jus & officium deberi, & ante Ecclesiam reformandam esse, qvàm Pontifex novus eligatur, constanter asseverantibus.

Postquam enim tribus propemodum annis de tribus contendentibus Pontificibus sede movendis magno cum labore, nec sine periculis in Concilio actum erat, Hispanis diu repugnantibus: His Sigismundi Cæsaris operâ cum Concilio tandem *A.* 1417. *mense Junio* unitis, *ordinem* rerum in Concilio porro agendarum hunc observari voluit Imperator, publicæ civilis & sacræ salutis promovendæ cupidissimus, *ut primo ejiceretur Petrus de Luna, secundo fieret Reformatio in capite & curia Romana, tertio ceteris reformationibus reservatis procederetur ad electionem Papæ*, notante *Schelstrateno in Tractatu Romano de concilii Const. decretis, p.* 60.

Primum arduum negotium brevi temporis spatio, proximo *mense Augusto* 1417. feliciter finitum, Petro de Luna prorsus deturbato. Dein omnes qvinqve in Concilio præsentes Nationes Deputatos statim ite-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum nominarunt, qui quod superioribus annis itidem tractaverant, scil. alterum qvoqve concilii *de Reformatione Ecclesiastica negotium*, omnibus viribus jam aggrederentur, hoc æqve ac illud confecturi. *Gobelinus Persona* serium hocce Nationum reformandi desiderium hoc mense auctum notavit in *Cosmodromio, ætate 6. cap. 96. Post hoc* (Petrum sc. de Luna A. 1417. mense Augusto Papatu privatum) *electi sunt viri literatissimi ex omnibus illis Nationibus, qui nomine totius Ecclesiæ reformationem status Ecclesiæ ordinarent ac conscriberent.*

Reformatorio autem illo denuo hoc mense Augusto resuscitato; *Reformatoribus moram in hoc facientibus*, teste *Gobelino l.c.* Cardinales hanc rem magno studio intervertere laborarunt, rati, consultius fore, si non jam Reformationis sed eligendi novi Pontificis qvæstio tractaretur. Animadvertentes enim istud Nationum in Reformatorio denuo constituto consilium, materiam *electionis* in laudatarum Nationum congregationibus statim proposuerunt, hancqve Reformationi præmittere svaserunt, teste laudato *Emanuele à Schelstrate in Tractatu de Sensu & autoritate Decretorum Constantiensis Concilii p. 62.*

Qvod ut felicius obtinerent Cardinales, Nationes singulas congregatas hoc nomine inviserunt, testibus Actis apud *Schelstratenum, p. 205.* Ac *nono* tandem *die Septembris* per Cardinalem Pisanum coram *Natione Germanica* in Nationali congregatione, Sigismundo Imperatore præsente, solenniter protestati sunt, formulâ à *Schelstrateno* in Actis Constantiensis Concilii *p.* 253. ex MSCtis Romanis relatâ.

PROTESTATIO CARDINALIUM
Contra Reformationem Electioni Pontificis præmittendam.
d. 9. Sept. A. 1417.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, non volentes per infra scripta vel dicenda Reformationem Ecclesiæ impedire quomodolibet vel differre, attendentes, de præsenti Romanam Ecclesiam vacare, & apud omnes vacare censeri, cujus diuturna vacatio damnosa plurimum & periculosa existit, universumq; populum Christianum futurum summum Pontificem ingentibus desideriis expectare: Se paratos offerunt ad omnia facienda, quæ ipsis pro electione Ro. Pontificis sive de jure scripto, sive ex oblatione modi electionis, per eos sacro Concilio facta, aut aliàs quocunque modo facienda incumbunt. Et dicunt, quod per eos non stat, neq; stabit, quo minus omnia illa debito tempore faciant. Et illa facerent, si nulla eis fuissent & essent prout fuerunt & sunt opposita obstacula, propter quæ illa faciendi non habent liberam facultatem, prout de jure habere deberent. Et hæc dicunt & offerunt, ne qvid eis negligentiæ vel defectus circa electionem prædictam valeat imputari, aut præjudicium generari. Rogant autem & exhortantur, quod ad reformationem prædictam taliter procedatur, quod prætextu illius negotium electionis non impediatur aut diu differatur. Et hæc ego Procurator dictorum Reverendissimorum Dominorum Cardinalium & illorum nomine vestris Paternitatibus & Dominationibus intimo, offero, exhortor, & rogo. Et hæc intimarem toti Concilio, si possem illud reperire congregatum.

Hæc

Hæc prima fuit ansa acerbissimarum litium publicarum in Concilio subsecutarum de *Reformationis an Electionis* potiori negotio. Siqvidem illud Cardinalium studium ad novi Pontificis electionem properandi, Reformationēq; in novum Pontificem devolvendi, vehementer Imperatori Sigismundo Reformationis maturandæ cupidissimo displicuit. Adeo, ut lectam illam Cardinalium protestationem Imperator suo discessu interrumperet; Ut nec plene qvidem tunc prælegi posset, notante *Schelstratenio l.c. p.* 63.

Post hæc, tribus nationibus, *Italica*, *Gallica & Hispanica*, in Cardinalium sententiam pertractis, *Imperator* solùm cum Nationibus duabus reliqvis, *Germanica & Anglicana*, superfuerunt, qvi pro Reformatione ante electionem Papæ conficienda atq; consummanda pugnarent.

Uno igitur solùm *intercedente die*, Cardinales cum tribus illis Nationibus suum scopum acri9 sunt prosecuti. Qvandoqvidem *d.*11.*Sept.* in solenniori congregatione in loco publicarum sessionum, omnibus Nationibus ipsoq; Imperatore præsentibus, Cardinales cum tribus Nationibus pristinum suum de maturanda ante publicam Reformationē Pontificis electione desiderium magna vi urserunt, novâ ac prolixa contra præmittendā reformationem *protestatione* interpositâ. Damus & hanc ex MSCtis Romanis, fide *Schelstrateni*, *in Dissertatione de Actis Concilii*, *Antverpiæ A.* 1683. impressâ *p.* 6. *& seqq.* ac correctius in *Tractatu de sensu & Autoritate quorundam Decretorum Concilii Const. Romæ A.* 1686. *edito*, *p.* 255. *seqq.*

PROTESTATIO ALTERA CARDINALIUM

ET TRIUM NATIONUM, ITALICÆ, HISPANICÆ ET GALLICANÆ, CONTRA GERMANOS,

Reformationem Electioni Papæ præmittendam esse urgentes.

d. 11. Sept. A. 1417.

AUdite hæc omnes gentes, auribus percipite, qui habitatis orbem, & attendat universa fidelium Ecclesia, quæ jam 40. *annis in deserto schismatis & divisionis inter se sub diversis ducibus velut Ecclesiæ capitibus mansit afflicta. Quæ cum in hoc Sacro Generali Concilio Constantiensi terram promissionis intrasse crederetur, & jam sublatâ capitum pluralitate monstruosâ, membrisque corporis jam in unum reductis, corpus ipsum Ecclesiæ per unius capitis assumptionem, unici videlicet Pastoris & Vicarii JESU CHRISTI, perfectè reintegrari speret, & sponsam sponsi sui thalamum introire quietis & pacis: Oblataq; jam & aperta via plana per dominos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, per quam verus & indubitatus Sponsus Ecclesiæ Christi Vicarius haberi poterat: Videlicet, quod ad eligendum Summum Pontificem aliqui de singulis Nationibus cum Cardinalibus per Sacrum collegium deputarentur, quorum tamen numerus Cardinalium numerum non excederet, & alias prout in cedula oblata super hoc continetur: Ecce jam sponsa lugente differtur, ecce novæ discordiæ, & ab illa via plana deviæ suscitantur,*

tantur. Licet enim illa via per dominos Cardinales omnibus in hoc Sacro Concilio Nationibus, & congregationibus, quæ per Nationes fiunt, oblata extiterit, & tres Nationes, Italiæ videlicet, Galliæ, & Hispaniæ, quæ faciunt multo majorem & saniorem partem Concilii, & ultra dicti Domini Cardinales illam acceptaverint, & justam, sanctam, & ad perfectam unionem Ecclesiæ efficacem reputent: Ista tamẽ Natio venerabilis Germaniæ *super hoc sæpius interpellata respondere noluit, imò respondere jam tribus mensibus distulit. Considerantes autem præfati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui præfatam viam obtulerunt, & dictæ tres, Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ Nationes, & attendentes, Ecclesiam apud omnes vacare, & jam diu vacavisse, quamque sit periculosa quamque damnosa Sedis Apostolicæ ac universalis Ecclesiæ præsens vacatio, & quod propter communia & nota pericula atque damna spiritualia, tamen majora & periculosiora his temporibus imminent, renovandi videlicet deterioris & pene insanabilis schismatis, cum vulnus iteratum tardius sanatur: Eo maxime, quod clerus & populus nonnullorum regnorum & provinciarum nondum solidè & clarè huic Sacro Concilio adhæserint, sed ut communiter fertur, exspectant fiendæ electionis Summi Pontificis eventum, ut si electus fuerit canonicè, illi obediant, alias non: Nec non etiam, quod quorundam, qui eidem Concilio adhæserunt, propter rumores discordiarum, & quasi impressionum, quas in eodem Concilio fieri audiunt, fides jam de eodem Concilio dicitur vacillare: Ob quæ jam scriptum & relatum est à pluribus magnatibus, & aliis zelatoribus pacis & unionis Ecclesiæ, in Italia plurimum dubitari, ne in urbe Romana prætextu rumorum & dilationis prædictorum aliquis pro summo Pontifice assumatur, cui forsan præmissis attentis tota Italia obediret: Attendendo etiam, quod, durante vacatione hujusmodi, urbs Romana & totum ejusdem Ecclesiæ patrimonium à tempore depositionis & renunciationis olim Joannis 23. per Tyrannos occupantur: Vos, præfatam venerabilem Nationem Germaniæ, singulaque ejus supposita pluries & instanter exhortati sunt, & requisiverunt, quatenus, attentis prædictis periculis Ecclesiæ Sanctæ Dei, velletis per vos vel deputatos vestros cum dictis tribus Nationibus, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, & Cardinalibus, super mod futuræ electionis, maximè de electoribus tractare, agere, & convenire, ut super hoc per Sacrum Concilium ordinato ad summi Pontificis electionem procederetur tempore opportuno. Quod facere & super hoc respondere jam multis diebus distulistis, & non fecistis: Licet asseratis, sine vestro consensu & ordinatione Concilii super modo, forma, loco, tempore, & materia, ad dictam electionem non posse procedi, obstantibus quibusdam hujus Concilii Decretis, quibus nos Hispanica natio, etiamsi alias valida existerent, non ligamur.*

Et quia procedente tempore etiam præfata pericula atque damna semper augentur, & nostris foribus assistunt, Nos deputati ex parte & nomine triũ Nationum prædictarum, Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ, atque Sacri dictorum Dominorum Cardinalium collegii, & nostro, ac omnium his adhærere volentium de præsenti vel in futurum, Vos, Nationem prædictam Germaniæ, & vestra singula supposita exhortamur, & requirimus, iterum ac ter-

ac tertio monemus, exhortantur, requirunt, & monent tres Nationes & Cardinales prædicti per viscera misericordiæ JESU CHRISTI, per aspersionem sui pretiosi sangvinis, cujus pretio hanc suam redemit Ecclesiam, quæ jam est in tantis periculis constituta, velitis per vos vel deputatos aut deputandos à vobis, cum aliis Nationibus & Cardinalium collegio, vel cum deputatis aut deputandis ab illis, de modo fiendæ electionis, & maximè de materia quantum ad electores, celeriter & sine moræ dispendio tractare, concurrere, convenire, & concordare, ad vitanda prædicta pericula, ut in tanta concordia fiat electio, quod in ea concordet totus populus Christianus.

Protestamur autem nomine quo supra, & obtestamur, protestantur & obtestantur tres Nationes & Cardinales prædicti Deum Patrem omnipotentem, Filium, & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos ac virtutes cælorum, invocantes super vos cælum & terram: Quod si deinceps Ecclesia ipsa sancta Dei pro carentia summi Pontificis canonicè eligendi, seu prætextu dilationis & moræ electionis ipsius, seu fiendæ ordinationis modi electionis ejusdem, aut alias detrimenta aut damna aliqua vel pericula in spiritualibus vel temporalibus incurrat, nihil eisdem tribus Nationibus & collegio Cardinalium aut earum alteri vel suppositis ipsorum & ipsarũ, ac his consentientibus valeat imputari, sed super his sint & habeantur insontes; Sed vobis, Nationi Germaniæ, & vestris suppositis possit & debeat merito imputari. Cum, si ante dictam provisionem Ecclesiæ de Pastore aut saltem modi electionis illius, suppositis hujus Concilii Decretis, quibus omnia jura circa electionem summi Pontificis edita dicuntur esse suspensa, ex quo sequeretur, Ecclesiam Dei esse sine capite, & sine lege, & ordinatione electionis summi Pontificis, hoc Concilium casu aliquo dissolvetur, prout jam multæ causæ timentur imminere, Ecclesia in periculo remaneret: Quia vix aut nunquam summus Pontifex indubitatus posset haberi, quia vix congregaretur indubitatum Concilium, deficiente capite, ad quod pertinet convocare.

Protestantur etiam de prosecutione legitima super damnis atque detrimentis prædictis & aliis adversus illos, per quorum culpam contingerent: Præsertim cum secundum plurium Doctorum juris divini & humani opiniones, talis morosa dilatio procedendi in negotio electionis ejusdem sine causa rationabili, non caret scrupulo fautoriæ schismatis. Nullam autem omnino causam, imo nec occasionem habere videtur dicta natio & ejus supposita differendi præmissa. Nec ullam causam allegant, nisi quod ante electionem fiat reformatio. *Quæ causa nulla est, qvoniã &* fieri reformationem dictæ tres Nationes & Cardinales volunt & cupiunt, *prout jam* ad hoc suos cum cæteris Nationibus deputatos dederunt, *qui ad hoc agunt. Et illis agentibus potest etiam eodem tempore agi de modo electionis summi Pontificis, prout eidem Nationi sæpè expositum & petitum. Præterea si reformatio fienda est de deformatis, quæ major est aut esse potest in corpore deformitas, quam carere capite, & acephalum esse? Illa igitur* prior *tanquam magis necessaria debet esse* reformatio, *quæ corpus ipsum ad caput reformet & informet. Et contrarium asserere vel facere non videtur esse securum. Allegant præterea, quod agere de modo electionis ante reformationem esset contra Decreta Concilii & capitula Narbonæ*

con-

concordata. Ista, salvâ dicentium reverentiâ, non sunt in re. Nulla enim decreta contradicunt, imo volunt contrarium. In omnibus enim locis, ubi vel Concilium vel dicta capitula de agendis in isto Concilio loqvuntur, semper præponunt unionem, quæ unio nisi esset nec dici potest perfecta, nisi Ecclesia unum caput ministeriale habeat, cui corpus Ecclesiæ uniatur. Duplex enim secundum sacros Doctores est unio Ecclesiæ: Una membrorum invicem; Quæ jam creditur esse facta: Altera membrorum ad caput, ut constituatur corpus integrum & perfectum: Et ista non est facta, igitur primo loco fienda. Præterea si ex ordine litteræ capitulorum Narbonensium arguitur, proprium & principale capitulum illorum capitulorum super ista materia, & quid & qualiter esset agendum in isto Concilio, ponit ordinem, quod agatur de ejectione Petri de Luna, de electione summi Pontificis, & de reformatione Ecclesiæ in capite & membris. Et ita electio præponitur. Præterea eadem ratione prius ageretur de reformatione membrorum, quam capitis: Quia in eodem ordine ponuntur. Quod usque ad annum, imo sine summo Pontifice nunquam esset factum, nec posse fieri videtur. Nec juvare potest dilationem, quod dicitur, Serenissimum Romanorum Regem & aliquos Cardinales & Prælatos alios aut Doctores aliarum Nationum eidem Nationi adhærere: Cum ad præfatum Serenissimum Romanorum Regem præmissa tractare aut differre non pertinet: cujus magis interest pro suo honore electionem summi Pontificis, quæ erit summa perfectio unionis, accelerari, quam tardari. Cardinales autem atque Prælati & alii, si qui illi Nationi in præfata dilatione adhærere dicuntur, certè non illi Nationi, sed dicto Domino Regi adhærent, in suis votis seqvuntur, & illi assentiunt, & tamen paucissimi sunt. De Cardinalibus enim sunt solum duo, qui licet in toto præsenti Cardinalium collegio sunt 24. illi duo soli à cæteris & tanto ac tam gravi collegio, in quo sunt tanti Patres, se minus honestà ac magnâ eorum verecundiâ segregant, qui si partes tanti collegii esse merentur, videant ne turpes dici possint, quæ suo non congruunt universo. Cæteri vero prælati & alii de tribus Nationibus, qui adhærere dicuntur, non illi Nationi adhærent, sed ut præmittitur dicto Domino Regi, & in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus Regem ipsum & ejus vota relictis Prælatis & Personis Ecclesiasticis pro suæ voluntatis libito seqvuntur, & assentiunt illi. Attento autem modo agendi in isto Concilio per Nationes, & quod unusquisque stat in suo Natione, in ea super propositis dicturus sententiam, singulariter & præsumptuosè incedentes, se inhoneste à suis segregant Nationibus, nec debent alibi ullam vocem vel autoritatem habere, imo à dictis duabus Nationibus, de quibus nec membra nec partes sunt, repelli. Nulla igitur causa subest differendi tractatum super modo futuræ electionis, qui si per prædictam venerabilem Nationem ulterius plus debito differatur, protestamur nomine dictarum trium Nationum & collegii Cardinalium, & protestantur eædem Nationes & collegium, de providendo Ecclesiæ Dei per remedia opportuna. Maximè cum præter collegium Cardinalium, ad quod de jure scripto magis pertinet electionis prædictæ materia, dictæ Nationes tres, & multo magis cum dicto Cardinalium collegio multo majorem partem & saniorem hujus Sacri Concilii faciunt, & majorem partem universalis Ecclesiæ repræsentant.

Turba-

Turbaverat quidem *prior* illa Cardinalium *protestatio* Cæsarem; Verùm *posterior* hæc multo magis *Cæsarem* momordit *Nationiqúe Germanicæ* bilem movit. Qvi exinde motus tunc orti in publico loco, celare non potuerunt, qui præsentes interfuerant ac suis cuncta oculis auribusqve acceperant. Qvi etiam memorant, *Cardinalem Zabarellam*, senem grandævum, in isto turbarum ac litium strepitu publico, qvod maxima semper polluisset in Concilio autoritate, magna vocis animiqve contentione ingentem tumultum vel sedare vel frangere contendisse. Adeo ut pro Pontifice eligendo pugnans, vitam prope suam vehementi illo motu frangeret, ex morbo inde contracto non emersurus, cum paulo post *die 2. Octob.* exspiraret. Qvæ fata dissimulare non potuit elegans Concilii orator *Poggius Florentinus in Panegyrico Zabarellæ dicto*, supra *Parte IX. f. 544.* *Qvid ille*, inqvit, *paulo ante, vobis inspectantibus fecit? Mementote illius turbulentissimi diei, P. C. & eum ponite ante oculos vestros, illius temporis ut vere dicam tumultum, cum frequentes omnium ætatum, ordinum, nationum homines in illam concionem convenissent. Revocate animis vestris gravitatem rei (de suprema enim salute agebatur) dissensiones & varias multorum sententias ac nonnullorum trepidationem. Qvis enim fuit vultus? Qvanta significatio animi & constantia? Qvalis illa oratio? Qvam plena dignitatis & prudentiæ? Cum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter objurgaret eos, quorum opera hi discordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur, tantam vim dicendi fuisse in eo, quem propter adversam valetudinem vix loqui posse credebant. Cygnea vox illa fuit & futuræ mortis præsagium. Nam dixit luculentius, quam antea unquam. Et postremis verbis clamans, inquit eam orationem suum fuisse testamentum, cum sese ita comparasset, ut in unitate Ecclesiæ vellet animam profundere.*

Neqve verò cum illa tristi & infelici hora, vel lites vel tempestates finem habuerunt. Nec enim Imperator concoqvere potuit has machinas reformationi oppositas. Qvapropter continuatæ illis diebus acerbissimæ lites. Notavit hoc Schelstratenus in Tractat. de Actis Concilii p. 65. *Lectà*, inqvit, *hac protestatione tanta animorum conturbatio orta est in Natione Germanica, ut Rex Romanorum, habito cum suis consilio, egerit de capiendis nonnullis Cardinalibus.* Hausit hoc ex *MSCtis* Romanis, qvorum verba p. 266. hæc refert. *Ex præmissis Congregationibus, lectura & propositione, Rex & Natio Germânica plurimum turbati fuerunt. Credebat enim Rex, quod in illa congregatione multa multoq; duriora fierent. Qvia credebat, quod illæ duæ* (forte *dictæ*) *Nationes & Cardinales vellent recedere, & plura alia, quæ nunquam cogitaverant, facere. Item fuit relatum Regi & Nationi Germanicæ, quod in illa scriptura, lectura, & propositione fuerant vocati hæretici & Schismatici. De quo nihil erat. Qvanquam plures dicant, quod, cum ille Patriarcha Antiochenus & alii recederent de Ecclesia & congregatione, unus dixit: Recedant Hæretici. Ex his multa machinamenta facta sunt. Et fuit secrete mandatum, & dictum pluribus Cardinalibus per suos amicos, quod Rex habebat armatos, & disposuerat capere Principales Cardinales, & alios. Et creditur esse verum. Recesserunt autem* (è Concilio) *legati Castellæ & Navarræ, præter aliquot doctores, qui remanserunt. Sed nulli ex illis potuerunt transire ultra unum milliare, prohibiti per Regem ultra transire.*

Et post plura: *His diebus magnus terror & turbatio erat in Concilio. Fama enim erat communis, & multi scientes de consiliis Regis & adhærentium sibi, dixerunt amicis, quod Rex proponebat & deliberaverat aliquando capere omnes Cardinales, & postea restrinxit ad sex, & consequenter posuit octo & alios Prælatos, & illi erant de Notabilioribus proscripti, ut ducerentur ad diversa loca. Sed Cardinales & alii, de quorum etiam proscriptione dicebatur, constantes steterunt, nec omiserunt loqui & prosequi quæ justa eis videbantur.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Gobelinus Persona, celebris illius temporis historicus, ab *Emanuele à Schelstrate in Tractatu de sensu & Autoritate Decretorum Concilii, in compendio Chronologico*, *p.* 62. commendatus, ac consensu plurium MSCtorum ab eodem munitus, in *Cosmodromio*, *ætat.* 6. *cap.* 96. *f.* 344. *editionis Meibomianæ*, hæc fata æqve aperte describit. Qvi cum monuisset, ex qvo *Petrus de Luna A.*1417. *Papatu fuerat privatus, electos fuisse in Concilio viros literatissimos ex omnibus Nationibus, qui nomine totius Ecclesiæ reformationem status Ecclesiæ ordinarent ac conscriberent*: Pergit: *illis autem moram in hoc facientibus, orta est seditio inter Regem & nationem Germaniæ parte ex una, & ceteras nationes parte ex altera. Rege cum suis volente, quod, priusquam ad electionem summi Pontificis procederetur, fieret Reformatio Ecclesiæ tam in capite quam in membris: Ceteris contendentibus ex adverso, quod prius procederetur ad electionem Papæ, quam reformatio Ecclesiæ esset deducenda ad effectum.*

Gobelini coætaneus, *Theodericus Vrie*, cum Gobelino ex asse consentit, illas in Concilio lites, Reformationem refrenantes, amare deplorans, in *Historia Concilii Const.* supra *Parte I. f.* 193. *Invidia devoravit charitatem, pacemq; fœdavit discordia. Libet, ut in congregatione sit charitas, pax & amor. Sed non licet, ut sint jurgia, æmulationes, rixæ, & cetera hujusmodi, quæ charitatem offendunt. Patres convocavit charitas, fratres amor, & reliquos pax sincera. Omnes enim, quos tantum opus arduum conjunxit, quinimo divinum, dilectionis nodo colligari debent. Sed Scriptura teste, cum die quadam venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos Satan. Satan adversans interpretatur. Hic namque fratres & Dei filios pacificos adversarios facit & inimicos, odia seminans & discordias movens. Hic verissime in Congregatione Constantiensi cognoscitur guerras & rixas concitare, ne inter se concordare valeant, ad quos sanctæ reformationis onus & opus spectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliæ, & hujusmodi, quæ sine diaboli instinctu esse nequaquam possent. Per quæ tantum reformationis negotium in capite & membris summopere tardatur.*

In his motibus oris animiq; vehementibus nec aliis parsum *chartis*, iisq; à veneno non omnino liberis. Cardinalium qvippe ac trium Nationum cœtus tantùm non hæreseos, certe Hussiticæ doctrinæ Imperatorem ac reliqvas duas Nationes accusarunt, eo nomine qvod reformationem Electioni Pontificis præferri optarent.

En ejus generis *aculeos*, quibus in Concilio petiti illi, qui cum Imperatore *Reformationem capitis Electioni Pontificis præmittendam esse* contenderent.

DISPUTATIO CONSTANTIÆ IN CONCILIO EDITA
Contra illos, qvi Reformationem curiæ Romanæ Electioni Pontificis præmitti volebant.

Ex antiqvo codice MSCto Lipsiensi.

„ AD obviandum multis erroribus, qui nunc oriri videntur circa materiam unionis Ecclesiæ, petitur *consilium & deliberatio Theologorum* „ super dubiis infra scriptis, quæ *Johannis Huß* doctrinam erroneam „ sapere dicuntur. DUBIA XII.

I. Utrum dicere, qvod *oblatio* super modo *electionis futuri summi Pontificis*, facta per Dominos *Cardinales*, & acceptata *per tres nationes*, „ est erronea, aut Ecclesiæ periculosa vel scandalosa, sit erroneum & injuriosum, ac pacis & tranqvillitatis sacri concilii turbativum? „

II. Utrum

II. Utrum dictam *oblationem non acceptare*, nec aliam æqve bonam vel meliorem offerre, & non velle super hac materia cum aliquo conferre, sed rem istam, tam necessariam, in longum periculosius differre, sapiat fautoriam schismatis & impedimentum unionis?

III. Utrum *inducere potentiam secularem ad prohibendum*, seu de facto impediendum, *ne* super dicta oblatione *deliberarent*, aut responderent *aliæ nationes*, sit libertatis concilii turbativum, aut impressivum metus, aut Ecclesiasticæ unionis impeditivum?

IV. Utrum dicere, quod, *Apostolica sede* apud omnes notorie *vacante, non* est *facienda electio futuri Pontificis* summi, secundum canonicas sanctiones, sed *quod post dictam vacationem, Ecclesia diu, & sine determinato tempore, maneat* acephala, id est, *sine Apostolico capite* seu pastore, & absqve canonica provisione super modo & forma futuræ electionis, sit contra jus divinum, videlicet contra ordinationem Christi de instituendo sibi vicario, Petri successore?

V. Utrum prædicta assertio sit hæretica, vel sapiens fautoriam pravitatis hæreticæ, & specialiter hæresis contra *Johannem Huss* per hoc sacrum concilium condemnatæ, videlicet, *quod Ecclesia melius potest regi sine Papa, quàm cum ejus & Romanæ Ecclesiæ autoritate*?

VI. Utrum quæcunqve hujus *concilii decreta, capitula* vel *juramenta*, sane intellecta, possint *obstare* præfato juri divino, seu ordinationi Christi de *substituendo* sibi *vicario*? Et utrum hoc dicere sit erroneum, & sapiens hæresin, ac huic sacro concilio injuriosum?

VII. Utrum dicere, & efficaciter procurare, quod non solum *electio* futuri summi Pontificis, sed & provisio super forma, modo, & tempore futuræ electionis *differatur, donec & quousque prius fiat reformatio capitis*, id est, *Papæ, Cardinalium, ac Romanæ curiæ, quasi hujusmodi reformatio bene fieri nequeat Papa præsidente*, sit erroneum & sapiat hæresin *Johannis Huss* supradicti?

VIII. Utrum canonica provisio super futura electione sit *prima & principalis reformatio Ecclesiæ*, præ cæteris necessaria, & debito ordine *præferenda*, aut saltem *non postponenda*? Et an contrarium dicere sit erroneum, & debiti *ordinis reformationis* sit turbativum? An hæc deformitas, scilicet, quod Ecclesia, ut præmittitur, maneat acephala, sit periculosissima, & per consequens hujus deformitatis reformatio sit præ cæteris necessaria?

IX. Utrum dicere, quod *minus inconveniens est, Ecclesiam carere capite, quam carere capitis reformatione*, sit erroneum, & à bonis moribus Ecclesiasticis alienum?

X. Utrum consulere, & inducere potentiam secularem, quod exerceat viam facti, vel *brachium seculare adversus personas Ecclesiasticas hujus sacri concilii*, absqve autoritate & expresso decreto suo, sub prætenso colore, quod isti vel illi *sint turbatores concilii*, reddat sic consulentes & inducentes reos pœnarum juris statutorum contra violatores Ecclesiasticæ libertatis, qvarum pœnarum aliqvæ confirmatæ sunt, & noviter institutæ per hoc sacrum concilium.

XI. Utrum dicere, *quod Romana & universalis Ecclesia non possit*

„ *debite ac perfecte reformari, nisi per subtractionem bonorum tempora-*
„ *lium, quibus à principibus superflue est dotata*, sit erroneum, & expresse
„ sapiens hæresin, contra *Johan. Huss* per hoc concilium condemnatam?
„ XII. Utrum tales consulentes & persvadentes, qvod Dominus *Rex*
„ *Romanorum* vel ratione suæ dignitatis, vel altero prætenso titulo, sive
„ conservatione hujus concilii, sive decretorum ab eodem concilio statu-
„ torum, possit aliqvam *jurisdictionem in Ecclesiasticos exercere* absqve
„ speciali ipsius concilii mandato, dicendi sint errantes de jure, & de fau-
„ toria schismatis vehementer accusandi, tanqvam præsentis concilii
„ turbatores, & violatores Ecclesiasticæ libertatis, prædictas juris pœnas
„ damnabiliter incurrendo?

„ Super materia dictarum qvæstionum *offerunt se* multum notabiles
„ *Doctores Theologiæ* probare & defendere *tres conclusiones* seqventes.
„ Videlicet;

„ Prima Conclusio.

„ EX articulis fidei clare deducitur, qvod Ecclesia non debet absqve
„ unico summo Pontifice derelinqvi, usqve ad consummationem
„ seculi. Et hoc de lege communi.

„ Secunda conclusio.

„ EX articulis fidei clare deducitur, quod præceptum divinum & af-
„ firmativum super electione summi Pontificis facienda, dum sedes
„ Apostolica vacat, obligat omnem Christianum ad non impediendum,
„ hujusmodi electionem canonice & salubriter faciendam.

„ Tertia conclusio.

„ EX articulis fidei clare deducitur, quod prædictum præceptum ob-
„ ligat omnem adultum Christianum ad procurandum juxta qualitatem sui status, quod electio summi Pontificis nequaquam differa-
„ tur, ubi & quando non erit efficax dilationis ratio, dum scilicet ele-
„ ctio deterioris exitum probabiliter non habet.

„ Ex prædictis tribus conclusionibus seqvitur *Re-*
„ *sponsio affirmativa ad prædicta duo-*
„ *decim dubia*.

„ Seqvuntur Rationes & Declarationes præmissorum.

„ CONtra nonnullos, qvi, sub prætextu & pallio *reformationis status*
„ *Romani Pontificis & collegii Dominorum Cardinalium ac curiæ Ro-*
„ *manæ*, moliuntur destruere non solùm electionem futuri Romani
„ Pontificis, imo etiam nituntur impedire, ne provideatur de forma,
„ modo & tempore ipsius electionis.

„ Pro *fundamento trium conclusionum* prædictarum imprimis sup-
„ ponendum est, qvod ex institutione *Christi*, qvi est *principale caput*
Ecclesiæ, usqve ad consummationem seculi debet succedere aliqvod *ca-*
„ *put ministeriale*, Christo subordinatum, qvale caput *Papam* vel sum-
„ mum Pontificem appellamus. Et secundum canonicas sanctiones

valde

valde *periculosum est, qvod sede vacante diu differatur electio* talis capitis, sive *Pontificis*. Et maxime, sine determinatione modi & formæ, & præfixione temporis. Maxime considerato longo tempore, & mandato, qvo jam vacavit Ecclesia, ut per suas literas testatur concilium. Quoniam aliter Ecclesia exponitur discrimini, ut remaneat acephala à tali capite. Quæ est *maxima deformatio Ecclesiæ, cujus deformitatis reformatio* præ cæteris est necessaria. Et per consequens, exponere Ecclesiam tali discrimini, sine manifesta provisione contra scandala, quæ inde possunt oriri, est favere schismati, & præbere impedimentum Ecclesiasticæ unitati. Quod sapit hæresin Johannis Huss per hoc sacrum concilium damnati: Et maxime in illis, qui alios, volentes contra prædicta scandala providere, vocant *turbatores concilii*, & fautores schismatis. Hoc itaque fundamento præsupposito, quod tam *jure divino* quam *humano* potest multipliciter stabiliri, consequenter dicendum est, quod contradicentes conclusioni præmissæ, quantum in se est, manifeste se reddunt suspectos fautoriæ inveterati schismatis, aut fabricationis novi. Quod sic potest probari.

Certum est, quod *si istud concilium solvetur, antequam habeatur Romanus Pontifex*, quod haberemus schisma pejus, quam aliud, propter *difficultatem iterum congregandi concilium*. Quoniam *difficillime congregaretur, sub quocunq; Principe Christiano*, propter multa, quæ faciliter considerari possunt. Item, quia secundum eos suspensa sunt jura, virtute quorum ipsa electio pertinet ad collegium Dominorum Cardinalium, & sic non valeret electio eorum, dato, quod eam vellent facere, & eam celebrare. Sed certum & notorium est, quod nos sumus in imminenti & quasi inevitabili periculo solutionis prædictæ, Et hoc propter multas causas.

Prima, propter *longam & diuturnam moram*, quam fecimus hic, ex qua longa mora non solum attædiata sunt notabilia supposita hujus concilii, imo hæc *civitas Constantia* cum tota provincia circumvicina.

Secunda: Propter *periculum pestilentis aeris*, ad quem secundum judicium Astronomorum & medicinæ peritorum tempus valde disponitur.

Tertia: Propter *divisiones, odia, & dissensiones, quæ durante isto concilio exortæ sunt inter Dominum Regem Romanorum & nonnullas nationes*, nec non Ambasiatores aliquorum Regum & Principum, ut notorium est.

Quarta: Propter *strages & guerras*, qvæ invalescunt in aliqvibus regnis & regionibus, propter quas & dissipantur bona & monasteria plurium Prælatorum & aliorum hic existentium.

Qvinta: Propter *diffidentiam, quæ habetur de aliqua bona reformatione obtinenda in hoc concilio*, viso, quod per duos annos, licet major pax & dilectio & *concordia* tunc esset *inter nationes, non potuit plene & perfecte concordari unum solum capitulum de supradicta reformatione*, de qva tractatur, videlicet *de statu Papæ & collegii Dominorum Cardinalium*.

Et sic, viso imminenti & universali periculo solutionis prædictæ, qvi,

„ periculo non obstante prædictæ machinationis, non curant providere circa formam electionis præmissæ, sed nituntur *occupare tempus circa* „ prædictam *reformationē*, se vehementer reddunt suspectos de fautoria „ inveterati schismatis, aut conspiratione & generatione. Nam & videntur Ecclesiam reddere acephalam, nec curant de hujusmodi periculo.

„ Item, si *dicta reformatio est in suo tempore necessaria*, nullus tamen „ sanæ mentis dicet, qvod sit *præferenda electioni Romani Pontificis*, vel saltem provisioni dictæ electionis, & determinationis modi, formæ, & „ temporis ejus, & hujusmodi; Eo, qvod dicta *electio est principale ne-* „ *gotium hujus concilii*. Et si non perficeretur, qvod Deus avertat, esset magis periculosum & nocivum. Imo est qvasi tota & unica spes universi „ populi Christiani. Valde ergo absurdum est, tantum principale pro- „ pter *unum accessorium* ponere in periculo, imo qvodammodo post- ponere.

„ Item, non solùm per hoc, qvod volunt dictam *reformationem præ-* „ *ponere, & in ea tempus occupant*, se reddunt prædicti suspectos, sed potius & verius ex hoc, qvod volunt, qvod *concurrenter* provideatur „ circa electionem, vel saltem determinationem modi, formæ, temporis „ ejus, & hujusmodi. Cum tamen convenientissime *uno & eodem tem-* *pore* possit provideri *super utroque*, nec unum in aliqvo posset aliud „ impedire.

„ „ Nunc restat ad aliqva eorum objecta respondere.

„ PRimo dicunt, qvod *creato Papa*, bono modo *non posset fieri* dicta *re-* „ *formatio*.

„ Ratio, qvia *ipse per præsentiam suam impediret causam*.

Responsio. Aut dicta reformatio potest canonice absqve eo & con- „ sensu suo fieri, aut non. Si sic; Absurdum est dicere, qvod impediret „ causam. Cum non posset impedire dejectionem suam. Si vero sine eo, „ & consensu ejus, non potest fieri: Nec modò poterit fieri. Cum pars „ contemtus esset, vel eum creatum non vocare, vel creandum non ex- „ pectare. Imo plus nocet contemtus paucorum, qvam contradictio multorum.

„ *Secundo*. Ad hoc, qvod dicunt, qvod plurimi illi vellent compla- „ cere, alii timerent illi displicere; Et ideo nunc habent majorem libertatem, &c.

„ *Responsio*. Primo tales, qvicunqve sunt, non sunt amici veritatis. „ Cum favore vel timore negarent veritatem. Neqve per tales fieri de- beret hæc reformatio. Vel impudens est istud objectum, & sapit cor- „ ruptionem.

„ *Tertio*. Ad hoc, quod dicunt, quod *habito Papa, quilibet niteretur recedere*. Et dant *exemplum de concilio Pisano*.

„ Istud objectum repugnat eis, qui tantum cupiunt istam reforma- „ tionem. Quoniam si tantum desiderant eam, non cito recedent, quin prius perficiatur, etiamsi ipsi pauci deberent remanere, ob hanc cau- „ sam duntaxat, quod in ipsis, viso in hoc casu, poterit remanere autori-

tas

„ tas concilii: Item vanum eſt, quod *concilium non poterit ita providere*
„ *poſt electionem ſicut ante*, ne prælati recedant.
„ Item, quod datur *exemplum de Piſis*: Reſpondeo: Quod *de dilatio-*
„ *ne* ipſius *reformationis* fuit libere concors illud totum concilium. Nec
„ fuit *culpa* Papæ, nec collegii Dominorum Cardinalium, ſed potius *to-*
„ *tius concilii, ſi pro tunc dicta reformatio non fuit facta.*
„ Item, dicta *reformatio* non fuit *impedita* propter creationem Pa-
„ pæ, ſed potius *propter conſenſum totius concilii* ex cauſa rationabili.
„ Item *deformitas Eccleſiæ* in hoc, quod caret Papa, eſt præ omni-
„ bus deformitatibus *generalior*. Quia tangit bonos & malos, & omnes
„ generaliter Chriſtianos.
„ Item, eſt periculoſior, ut ſupradictum eſt. Quia ex dilatione ejus
„ poſſet ſtatus Eccleſiæ non mediocriter deteriorari, tam in fide, quam
„ in moribus.
„ Item tam *longa expectatio futuri Romani Pontificis* eſt præcæteris
„ deformitatibus populis magis ſcandaloſa, quam pauci cogitant *in iſta*
„ *reformatione capitis*. Quamvis *non negatur, quin ſit expediens & ne-*
„ *ceſſaria*, ſed electioni prædictæ nullo modo præponenda.
„ Patet igitur, quam vehemens ſuſpicio laborat contra prædictos, quod
„ non recte tendant ad ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti, & glorioſæ ſponſæ ejus.
„ Et forte intendunt ſic expendere tempus, & attædiare concilium,
„ ut ſic tandem paucis remanentibus *eligant Papam ad ſua vota.*
„ Allegationes autem tam divini quam humani juris leviter pote-
„ runt fieri ad præmiſſa.
„ Hucusqve in Codice MSC. Lipſienſi.

MAgna Imperatoris patientia, qui æqvo animo ferret invidioſos ac permoleſtos titulos, quibus ſuam Majeſtatem & Germanos, Reformationem maturari cupientes, uti aliàs ſæpius ita & in hoc ſcripto onerari videbat. Nec enim novum hoc Sigismundo audire, qvod Papam ad ſua vota qværeret. *Theodoricus à Niem*, fatorum Concilii ſpectator ſagaciſſimus, hanc Imperatoris æquanimitatem præclare in concilio alia occaſione tuitus eſt, in *vita Johannis XXIII. Dicuntur*, inqvit, *apud nos aliquæ cauſæ ponderoſæ, quare Dominus Rex Romanorum recto tramite huc non rediit cum eisdem oratoribus noſtris. Qvarum una eſt, quod multi de Italia, hic exiſtentes in eodem Concilio, murmurabant inter ſe, dicentes, quod ipſe Dominus Rex Romanorum ficte ageret, nec non Papam ad ejus voluntatem hic eligi vellet, ad hoc, ut ſic ejus conditionem faceret meliorem. Et ſuper hoc ſcriptis eorum, ad diverſa loca directis nequiter eum diffamarunt. Qvod aliquando ipſum Dominum Regem Romanorum non latebat. Tamen patienter hæc, & alia multa ſimilia, contra Ejus Majeſtatem perperam & injuſte facta, tolerabat.*

Ceterum in his turbis cum Imperator flecti nondum poſſet cum natione Germanica, *Anglica natio* in partem adverſam tandem tracta fertur, ut Imperatorẽ in illa qvæſtione controverſa, *An Reformatio prius in Concilio Conſt. eſſet conficienda quàm novus eligeretur Pontifex*, deſereret, uti ex *MSCtis* commemoravit *Schelſtratenus in Diſſertatione Antverp. p.* 13. *& in Tractatu laudato de Actis Concilii p.* 66. *&* 268. *Rex, qui pro concordia Cardinalium credebatur velle accelerare materiam electionis, iterum retroceſſit, & recepit materiam reformationis. Et ſemper fuit in Concilio magna controverſia.*

Qvatuor

Qvatuor enim Nationes, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ & Angliæ, quæ ad mandatum Regis Angliæ dimisit in illa materia Regem Romanorum, & Collegium Cardinalium, insistebant accelerationi electionis: Rex & Natio Germaniæ, quod Reformatio præcederet.

Postquam verò Imperator cum sola Natione Germanica supererat, qui Reformationem maturandam & Electioni Pontificis præmittendam constanter hactenus urserant, indulgendum tandem nonnihil ac satis aliquid dandum intellexerunt. Qvapropter Electionem Pontificis accelerandam consenserunt cum Imperatore Germani, hac lege atq; conditione, ut post electionẽ Papæ ex tempore ad reformationem procederetur. Notavit hoc ipsum Schelstratenus ex MSCtis Romanis, in Dissert. Antv. p. 13. & Tractatu p. 268. *Tandem dicta Natio petivit assecurationem & cautionem per decretum irritans, quod post electionem Papæ fieret reformatio ante coronationem Papæ & administrationem aliquam. Postea fuerunt factæ diversæ formæ decreti ad hoc.*

Ceterum neqve quoad illud votum satisfieri potuisse nationi Germanicæ notatum in laudatis *MSCtis* Romanis, apud *Schelstratenum ll. cc.* Scriptum in illis diserte: *Tandem fuit dictum, quod Papa electus ligari non poterat.*

Interea de articulis per Papam reformandis, inter Deputatos Cardinalium & Nationum sedulo actum, sed ambigua fortuna, testibus *MSCtis* apud *Schelstratenum ll.* cc. *Semper agebatur per Deputatos Cardinalium & Nationum omnium de concordando articulos Reformationis. Sed pauci & vix poterant concordare. Una natio volebat uno modo, alia alio. Et diu fuit laboratum & parum actum.*

Quando sic tandem ægerrimus *mensis September* inter spem metumq; effluxerat, ac *Zabarella Cardinalis*, ex morbo contentione superiori contracto *die* 2. *Octobris* obierat: Brevi à Cardinalis obitu *d. 9. Octob.* in publica sessione quædam *Reformatorii Constantiensis momenta*, supra *Parte XI.* recensita, leviter alicubi mutata, in Concilio sunt publicata, Pontificem inprimis eligendum concernentia. Sic *Electionis* quidem *materia* indulta ab Imperatore ac Natione Germanica: Ast nulla adhuc certa atque firma promissio aut definitio *de Reformatione post Electionem instituenda.* Donec *Episcopi Vinctoniensis* ope res tandem ad desideratam ab Imperatore & Germanis *de Reformatione post Papæ electionem instituenda cautionem* atque publicam solennemque pollicitationem, generalem tamen, absq; temporis determinatione, deduceretur. Hac de re hæc in *Actis Concilii* apud *Schelstratenum p.* 269. referuntur. *His pendentibus venerunt nova, quod Episcopus Vinctoniensis in Anglia, Patruus Regis Angliæ, erat in Ulma ad duas dietas de Constantia, & quod ibat in Jerusalem. Et fuit per Anglicos significatum Cardinalibus, & persvasum, quod multum afficiebatur unioni Ecclesiæ, & quod scriberent sibi, quod veniret Constantiam, quod faceret cum Rege Romanorum quicquid vellet, quod fecerunt. Rex etiam scripsit. Et ivit ad eum Episcopus Lichfeldensis, & adduxit eum Constantiam in habitu peregrini cum cruce, & sic intravit, & stetit in Constantia pluribus diebus. Et iverant sibi obviam Rex & tres Cardinales. Tractatum est per Cardinales & Deputatos omnium Nationum, paucos tamen, cum Rege, per medium illius Vinctoniensis. Et finaliter deventum ad hoc, quod daretur per decretum Concilii in forma infra scripta cautio, de fienda reformatione post Electionem Papæ: Et expedirentur capitula reformationis*

ticnis concordata per omnes Nationes, & darentur deputati ad ordinandum modum electionis.

Memorata Synodalis contestatio, cautio ac definitio, *de Reformatione post electionem Pontificis conficienda*, sub finem statim ejusdem mensis, *d.* 30. *Octobr.* publicata, à *Schelstrateno* l. c. ex MSCtis hæc sistitur: *Sacrosancta &c. statuit & decrevit, quod futurus summus Pontifex, per Dei gratiam & pro primo assumendus, cum hoc sacro Concilio vel deputandis per singulas Nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & curia Ro. secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissolvatur, super materiis articulorum, videl.*

In *nostris* præclarissimis *Actorum Concilii constantiensis MSCtis* plenior atq; non parum ponderosior hæc est definitio Concilii.

Reformationes fiendæ per Papam unà cum Concilio antequam concilium dissolvatur.

SAcrosancta Generalis Synodus Constantiensis, in spiritu S. legitime congregata, Universalem Ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus summus Pontifex, per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio vel deputandis per singulas Nationes debeat reformare Ecclesiam in capite & curia Romana, secundum æquitatem & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc sacrum Concilium dissolvatur, super materiis Articulorum, aliàs per Nationes in Reformatorio (in MSCto Brunsvicensi, *in Reformatoriis*) *oblatorum, qui sequuntur.*

I. De numero, qualitate, & natione dominorum Cardinalium.
II. *Item* De reservationibus sedis Apostolicæ.
III. *Item* De Annatis, communibus servitiis & minutis.
IV. *Item* De Collationibus beneficiorum & gratiis Expectativis.
V. *Item* De Confirmationibus electionum.
VI. *Item* De causis in Romana curia tractandis vel non.
VII. *Item* De Apellationibus ad Ro. curiam.
VIII. *Item* De officiis Cancellariæ ac Pœnitentiariæ.
IX. *Item* De exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis.
X. *Item* De commendis.
XI. *Item* De fructibus medii temporis &c.
XII. *Item* De non alienandis bonis Ro. Ecclesiæ.
XIII. *Item* Propter quæ & quomodo Papa possit corrigi & deponi.
XIV. *Item* De extirpatione Simoniæ.
XV. *Item* De dispensationibus.
XVI. *Item* De Provisione Papæ & Cardinalium.
XVII. *Item* De indulgentiis.
XVIII. *Item* De Decimis.

Hoc addito, quod facta per Nationes deputatione prædicta, liceat aliis de licentia Papæ libere ad propria remeare.

Qvoniam igitur invitus & diu multumq; repugnans *Imperator Sigismundus* eo tandem pellectus ut probaret, quod conclusum erat, Pontificem prius esse eligendum, quàm delineata ac determinata Ecclesiastica reformatio perficeretur, per Pontificem cum Concilio suscipienda: In adornando atque adaptando splendido Mercatorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

theatro atq; publico domicilio Rheni undis vicino, pro Electorum conclavi, his diebus fuerunt occupati. *Gobelinus* l.c. *Tandem*, inqvit, *reformatione concepta, ipsa tamen nondum publicata, processum est ad electionem summi Pontificis.* Hoc composito, proximior ad electionem necessarius apparatus, ratione ingressus, regularumq; in conclavi & in actu electionis observandarum, publice *die* 8. *Nov.* instructus aut expressus.

Neqve postrema *publici* illius *apparatus* pars fuit, memorabilis & gravissima *Oratio*, solenniter tunc habita *à Jacobo Episcopo Laudense*, qva conscientiam illorum fortissime obligaret, qui ad eligendum novum Pontificem erant communibus votis electi. Qva penetranti oratione *ideam emendati ac reformati meliorisve Pontificis* absque omni fuco exposuit ac designavit.

Diserta hujus *præclaræ Orationis* fit mentio in *Actis Concilii*, impressis æqve ac MSCtis.

In MSCto BRUNSVICENSI Oratio hæc Episcopi commendatur his verbis: *Officio Missæ peracto, Reverendus Pater Dominus Jacobus, Episcopus Laudensis, fecit sermonem ad Synodum, cum themate, Eligite meliorem. In quo sermone exhortabatur concilium, ut meliorem eligerent, Deo & hominibus acceptum & gratum. Reducens ad memoriam labores habitos, tempus, & pericula, quæ occurrebant propter malos pastores, & gaudium angelis in cœlo & hominibus in terra, per electionem boni viri.*

In MSCto LIPSIENSI hoc laudatæ orationis habetur encomium: *Missa finita Reverendus Pater, Dominus Jacobus, Episcopus Laudensis, ambonem solitum ascendens, solennissimum sermonem ad Synodum sanctam fecit. Pro introductione sermonis accepit pro themate Eligite meliorem*, 4. *Reg.* 10. *Qvod electores Romani Pontificis eligerent bonum Papam & meliorem, pulcherrime persvadendo.*

Qvibuscum consentiunt Codices impressi. In qvibus eminet *Conciliorum Tomus XII. Parisiensis. f.* 246. *& in Appendice Labbeana f.* 1763.

Atque hæc est notabilis illa atque ponderosa *Oratio Episcopi*, quam ex gemino MSCto, CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI, raro exemplo hic exhibemus.

Pertinet autem singulariter hæc oratio ad *Reformationis Constantiensis Acta*, tum quod in Concilio diu multumq; esset disputatum de *summi capitis in Ecclesia digna emendatione*, adeoque *meliore Pontifice eligendo*, quàm quales extiterant antea, tum, quod à novo Pontifice expectaretur desideratissima illa cleri emendatio.

Qvemadmodum ipse IMPERATOR SIGISMUNDUS (uti in incomparabili *Codice MSCto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ad diem* 8. *Nov. A.* 1417. annotatum) illa ipsa nocte prima, qua in conclave se jam receperant Pontificis electores, juramentum sua manu Cæsarea ab omnibus suscepit, addita hac exhortatione, *ut propter Jesum Christum vellent Ecclesiæ providere de pastore bono, devoto, & honesto, qui Ecclesiam reformaret. Qvod & omnes spoponderunt se facturos.*

(o)

JACOBI

JACOBI
EPISCOPI LAUDENSIS
Incomparabilis & solennissima Oratio
ante ingressum Electorum in Conclave
A. 1417. d. 8. Nov.
in publico Oecumenici Concilii theatro
in Cathedrali Ecclesia Constantiensi
SIGISMUNDO IMPERATORE
præsente
ad splendidissimum Electorum novi Pontificis Collegium
habita, qua sistitur
IDEA MELIORIS SUMMI PONTIFICIS
IN CONSTANTIENSI CONCILIO
ELIGENDI.
Ex antiquissimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI & DUCALI BRUNSVICENSI.

Negotiũ Concilii Const. commendatio Ecclesiæ.

Emendatio ab Ecclesiæ capite inchoanda.

IN Christi Jesu nomine. *Eligite meliorem.*

Tam *ruinam universalem oportunitas revelandi* occurrens, quam etiam lacessitam sacrosanctam *Ecclesiam* instans *resarciendi necessitas*, vobis Dominis, qui perenni opitulante præsidio summum *estis electuri pastorem*, me sane coegit, ut proponerem: *Eligite meliorem.*

Itaque eligite *meliorem*, scribitur *IV. Reg. X. Cap.*

Virginem illam eximiam, maximeque peroptimam, quam elegit ante secula, & præelegit altissim', in nostri precabimur sermonis exordio, ut tota clemens pro nobis interveniat, utique & propitia. Eam primo salutabim', dicentes cum Angelo: *Ave Maria gratia &c.*

Eligite meliorem. lib. & cap. ut supra.

Celeberrimi Patres, orthodoxique Domini. Quantum verba ista vestris reverentiis congrua, quantumque oportune conveniant, plurimum intelligentibus liquet. Quoniam, etsi nil aliud fari instituerem, satis est, eruditissimis viris dixisse: *Eligite meliorem.*

Melior Pontifex in Concilio Const. eligendus, quam quales fuerant antea.

Nempe, uti ad graviora perferenda onera requiritur *fortior*,

ad alta discutienda consilia vocatur *doctior*,

ad ardua pericula bellica exponitur *promtior*,

ad ingentes impensas poscitur *ditior*:

Sic sane congruit, ut ad ea, quæ sunt maximæ sanctitatis officia, eligatur & *melior.*

Ecclesiam regant optimi.

Et si super naturam videatur, quod quis sine crimine sit, ideo nedum optimum aut meliorem, sed *bonum* sit *difficile comperire*: Propter tamen urgentem jacturam penitus semovendam non qualemcunque sed *meliorem* debetis præferre.

Rari boni.

Meliores præferendi.

Nam, ut *eligatis*, hoc vestro *sacro convenit cœtui.*

Sed ut eligatis *meliorem*, jam, nedum Ecclesiæ, sed *toti expedit orbi.*

Et quoniam, quæ ante oculos habuistis dispendia, est facile intueri: Ideo eadem pestiferam, qua *nonnulli nostri Pharisæi* & summi Pontifices jam *pene octo lustris ovile Dominicum laniarunt*, si cupitis de medio Ecclesiæ submovere, considerate attentius, *quales hi fuerint.* Et nonutique talem sed omnino eligite *meliorem.*

Miserrima Ecclesiæ status ante Conciliũ Const.

Quales fuerint Pontifices proxime ante Concil. Const.

Tam enim comparatione eorum, qui in tanto apice *præcesserunt*, quam illorum quoque, qui *subsequi possent*, ne præteritorum Pontificum, quem diluere intenditis, videamini velle renova-

Melior Pontifex

eligendus in Concilio Const.

re errorem: Ideo *non illis similem*, sed utique eligite *meliorem*.

Virtutes boni pastoris, ejusque summi.

Siquidem, ut *di. XXIII. c.2.* clare colligitur, quod is, *qui aliis præficitur in pastorem, debet esse natura prudens,*
docilis,
temperatus in omnibus,
vitâ *castus,*
victu *sobrius,*
semper *sui cavens ingenii,*
humilis,
benignus,
pius,
justus
& misericors,
in lege instructus Domini,
scripturarum sensibus cautus,
& sacris exercitatus dogmatibus.

Quanto igitur magis & multo amplius, *qui cunctis debet præesse pastoribus,*
qui caput debet esse fidelium,
qui esse debet auriga Ecclesiæ,
præsul Principum,
sacerdos altissimi,
pater Pontificum,
propugnaculum fidei
& princeps Apostolorum
omni debet ornari titulo probitatis.

Quanquam autem singulas, *quibus summum oportet insigniri antistitem, virtutes* exprimere nemo sufficiat: *Tribus* tamen debet præcipue esse præ omnibus redimitus. Non enim tam celebre culmen cuilibet convenit.

Tres præcipui characteres digni summi Pontificis.

Cum itaque tantus *apex regiminis animarum ars sit artium*, ideo summus eligatur antistes, qui sit *bonus*
& doctus
& aptus.
Bonus quoad vitam,
doctus ad sapientiam & doctrinam,
& aptus ad regimen & curam.

Sit vitâ purus & sanctus.

Eligatur, qui niteat *puritate & sanctimonia*, & sit *vita bonitate* præcipuus:

Sit sapiens & doctus.

Qui fulgeat claritate & *sapientia*, & sit *doctrina veritate* perlucidus:

Sit expertus.

Et qui emineat *probitate & experientia*, & sit regimini & dignitati aptissimus.

Vita innocentia est fundamentum.

Et quoniam omnium bonorum humanorum *pura & innocens vita* fundamentum est, ideo dixi primo: Eligatur qui niteat *puritate & sanctimonia*, ut sit *vita probitate* præcipuus. Illum quippe honores & dignitates glorificant, quem *virtutes, probiq; mores* extollunt, celebris quoque commendat & vita.

Honores virtutibus apti.

Talem ideo eligite, cujus possitis *magis opera & merita admirari, quam verba.*

Opera verbis potiora.

Eligite eum, *qui se in cunctis emergentibus adstringat limitibus rationis*, ut illa duce sibi cætera subjicere possit.

Quo quis major, eo sit melior.

Summa quippe cunctis Christicolis erit felicitas, si inter nos *major* esse non poterit, *nisi qui melior.*

Malus præsul commodæ Ecclesiæ quærere non potest.

Quamobrem *labem perferens criminis* memorandi, redimiri non debet præsulis dignitate. Quonam modo delictorum laqueis irretitus poterit Ecclesiæ profectibus libere inservire? O quam perniciosum, quamq; *erumnosum est Ecclesiis, præferre malos!* Quoniam & Ecclesiarum exterminium provenit: Et *præsulum pravos imitari mores & vitia, velut quoddam gratum genus obsequii judicatur.*

Malos mores præsulis lubentes imitatur subditi.

Profecto tamen eorum animas subditorum præsul interimit, quos *suæ mala vitæ exemplo* in perniciem trahit. Eapropter *sic est à præsule quolibet in domo Domini conversandum, ne ab eo possint occasionem aut excusationem laici sumere delinquendi.*

Mala vita exemplũ perniciei principium.

Oportet quippe *Pontificem* nedum sine crimine, sed *irreprehensibilem* esse. Adeò, ut *illius conscientia* nullius possit delicti aculeis stimulari.

Pontifex sit irreprehensibilis.

Qualiter namque spiritualis valebit medicus animarum mederi langvoribus, *si ipse morbo graviori oppressus* sit? Qualiter Pontifex poterit alios monitione salutari arguere, qui *conscius ipse sibi se intelligit perpetrasse pejora?*

Conscientia ejus sit pura.

Malus Pontifex nihil proficit.

Propterea *Pontifex quisque debet vita nitere & moribus.* Ut cunctis sit jubar & *virtutum speculum*, qui est universis ad *sanctitatis exemplar* expositus imitandũ. Unde sacer antistes *Gregorius* (& ponuntur *dist. XL. c. oportet*) sic ait. *Quibus conveniat ornari Pontificem, audiamus. Ornamenta quidem Pontificis sunt virtutes, quæ promittuntur à Domino, cum dicitur: Sacerdotes ejus induam salutare. Unde in prisco Testamento Pontifices ex præcepto Domini intelliguntur ornari, quod multis modis debet vita splendere Pontificis, ut gradui ex vita decorem conferat. Quem,* supple,

Pontifex sit virtutum speculum.

supple, decorem non ab eo gradu accepit, quia non dignitates vel loca sanctum faciunt sacerdotem. Qvapropter ex suscepto officio non licentiam peccandi, sed bene vivendi necessitatem se intelligant accepisse. Non igitur phaleræ aureæ, non tersa calcaria, non altisoni pedes, non svaves gradarii, non arridentes clientuli, non fulgentes in manibus annuli, non lauta convivia, non vasa multimode pretiosa, non delicatissimæ vestes, non quoque alia pompatissima ornamenta, sed virtutes & vita reddunt antistitem gloriosum.

Sic quoque in suo *Pastorali* sacer sentit *Ambrosius*, ubi ait: *Sicut senatorem clavis ornat, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam navigationis peritia, & uniuscujusque operis qualitas suos dinumerat actores, sic Episcopum non nisi operatio Episcopalis designat.*

Pontifex vitâ effulgeat non nomine emineat.

Studeatis igitur, ut plus bono opere, quam quod professione noscatur, & magis *vita merito*, quam quod nomine *Episcopus* vocitetur. Hæc est enim divini principatus autoritas, quæ nec carni nec sangvini, non divitiis, non principatui, non amicitiis, non alteri perituræ rei, *sed solis meritis debetur & vita.*

Moses præsidium Ecclesiæ ex sola virtute æstimavit.

Et ideo Moses filios suos noluit principatus relinquere successores, neqve posteris suam legare voluit dignitatem: Sed alium de tribu alia elegit, ut sciremus, *principatum Domini esse solis virtutibus deferendum.*

Vita itaqve celebris & *sincera requiruntur in eligendo Pastore.* Qvia Pontifex debet *radiis splendere virtutum*, ut cunctos qveat populos ad imitanda sanctitatis exempla facto & opere provocare.

Bonum eligere Pontificem est Dei opus.

Vos igitur Domini, qui estis in tanto, tamqve *sacro negotio* electores electi, considerate, quod *non hominum*, sed *Dei opus* præ manibus habetis.

Malas artes ab electione novi Pontificis in Concilio abesse debere.

Propterea vos oportet, si quod intra vos est, viperium omne venenum evomere, nocuas *affectiones* exuere, & *cupiditatem* & cunctam *ambitionem* à vobis longius relegare. Vestros placeat animos diligentissime perscrutari, ne *pravæ practicæ, fœda fœdera, illicitæ ligæ, conductæ conventiones, & indebita* vos circumveniant *juramenta.* Deum autem, vestrorum cordium inspectorem & judicem, placeat intueri.

Sigismundi Imperatoris pro salute publica labor.

Qvid qvæso tantum noster SERENISSIMUS IMPERATOR ET INVICTISSIMUS REX SEMPER AUGUSTUS tanto tempore laborasset? Qvid opus fuisset tot laboribus, tot sudoribus, tot impensis, tot dispendiis, aut tot periculis vos committere? Si velletis errorem priorem renovare pejorem: Consultius fuisset non incipere, quam desistere ab inceptis.

Propterea si *bonum* elegeritis, inter bonos & optimos poteritis computari. Sed si, quod Deus avertat, *malum* vel reprobum, sane non nisi iniqvi & pessimi judicabimini.

Multi in Concilio præsentes privati solum commodi gratia.

Nonnulli ad *hanc sacram synodum* se venisse professi sunt, qui utinam ad concilium non *ad mercatum* adiissent. Qvoniam non de communi bono aut re publica, sed de *proprio commodo* & privata re totis nisibus conantur insistere.

Sed non sic, vos Domini mei, non sic. Sed *puri, liberi, sinceri, devoti* atqve confessi, intrare contendite: Attendentes, quod vestris pendet in manibus mundi totius salus, aut postremus interitus. Ad vos orbis respicit universus. Considerate itaque, quod Deo & hominibus, secundum quod egeritis, estis pro nobis omnibus rationem reddituri.

Et qvoniam electionem rectam facit *virtus*, ut 6. *Ethic.* vult Philosophus: Ideo maxime proprium virtutis videtur *electio.* Omne enim bonum & laudabile per se eligibile est.

Virtutes boni Pontificis in Concilio eligendi.

Virum ideo eligite *bonum,*
sincerum,
integrum,
memorem,
pium,
gratum,
justum,
benevolum,
alieni abstinentem,
sui non tenacem,
non voluptati deditum,
non iracundum,
non cupidum,
non elatum.

Eligite pastorem, cujus diligentia sit, credi-

creditas oves pascere, non vorare,
dirigere, non interimere,
conservare, non perdere.

Oportet summum antistitem non tam dignitatis culmine, quam *sanctitate & vita* sibi subditos *anteire*. Propterea *nimium absonum est, ut præsulatum assumat, qui se nescivit claris moribus erudire.*

Si itaque ad lacessitam domum sanctum Zelum geritis & amorem, eligite *vita & moribus meliorem*. Eligite eum, qui sit vere sacerdos & *Pontifex*, non secundum legem mandati carnalis, sed *secundum virtutem vitæ*, scribitur *Hebr. 7. cap.*

Vita sine doctrina in Præsule infructuosa.

Sed esto, quod celebris sit præsul *vita*, sint probi deniqve *mores*: Qvid qvæso proderit subditis sine *doctrina?* Ardebit forsan sed non lucebit. Et devoto teste Bernhardo, nedum ardere, sed etiam lucere oportet antistitem.

Sapientiâ effulgeat Pontifex.

Qvare secundo subjunxeram, fore optimum, quod *Pontifex fulgeat* claritate & *sapientia*, ut sit doctrinæ veritate perlucidus. Pontificis quippe debitum est, & annexum officio, ut sit *doctus*, & *doceat*.

Sit doctus. Sed à Deo.

Doctus quidem, nedum ab hominibus, sed *& à Deo*,

Doceat quæ didicit à spiritu.

& *doceat, quæ didicerit dirigente Spiritu Sancto.*

Ignorantia absit à pastore.

Ideo à Pontifice summo studio omnis vitanda est *ignorantia*. Qvæ, licet omnibus, tamen potissimum est *periculosa pastoribus*. Cum *hi debeant alios erudire*, nedum *in lege Domini*, sed etiam in *sanctorum operum disciplina*. Tales itaque sunt ad præsulatus assumendi officium, qui possint sibi subditas dirigere oves, & salutaribus pascere documentis.

Regiminis decus sapientia.

Unde ad culmen regiminis ratio non acceptat, quem *sapientiæ claritas* non illustrat. Summum enim bonum & optimum mentium humanarum *sapientia* est. Ideo omni debet *sapientia* perlustrari, qui nostrarum omnium animarum director existit.

Scientia Pontificis præsidiũ.

Sic igitur Pontifex in *scientia* polleat, ut non solum sibi creditum populum sufficienter instruat, sed etiam cunctarum hæresium inventores à catholica Ecclesia repellere queat. Ne suâ imperitiâ cæteri corruant imperiti, & hujusmodi casu pervento illi contingat, quod scribitur. *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.*

Qui vero *sapientem*, ut diximus, *se esse non intelligit, præsulatum minime ambiat, nec dignioris locum usurpare præsumat, præsertim illius, qui suo fulgore sapientiæ populo potest corda hominum perlustrare:* Verba sunt sanctissimi *Ambrosii* in suo *Pastorali.*

Qvamobrem *VIII. q. 1. c. 15.* dicitur, & sunt verba *Hieronymi:* Præsuli nil *sapientiæ*, nil *scientiæ*, nil qvoqve desit *industriæ:* Sed adsit sensuum omnium plenitudo, & *Scripturarum sacrarum cognitio*, ut, quid sit Pontifex, quid sit unctio, & quid ejus indumenta significent, intra sacrarium cordis clara possit mente advertere. Audire nempe præsulem oportet attentius, & ab ipso monita fidei & documenta suscipere veritatis.

Scriptura S. probe sit peritus Pontifex.

Qvantam igitur *summus Pontifex debeat Scripturarum habere peritiam, & omni scientia eminere*, Testamenti utriusqve plurimis docemur exemplis.

Plenam veritatis cognitionẽ habeat Pontifex.

Et primo, quia summus sacerdos *rationale* gestabat *in pectore*, (ubi manifestatio scribebatur & veritas) *in pectore summi Pontificis manifesta, clara & plena debet esse cognitio veritatis.*

Qvod illustratur exemplo arcæ fœderis.

Sic qvoqve *annulis*, quibus arca Domini ferebatur, erant *vectes* inserti, ut, cum arca portanda esset, de dimittendis vectibus nulla fieret mora. *Vectes* qvippe sunt *Pontifices*, per qvos arca in Ecclesia sustentatur & vehitur: Hi debent annulis esse i.e. *sacris literis* semper *intenti*, ne tunc discere quærant, cum eos convenit alios edocere.

Josephi.

Nonne *Joseph* à Domino *prius* fuit veritatis visione *edoctus*, anteqvam Ægypti susciperet principatum?

Mosis.

Et *Moses ante Dominum vidit* in rubo, & pariter audivit, *dein dux factus* est Israel.

Davidis

Et *David* populum Domini directurus, *antequam regni susciperet gubernacula, Spiritus Sancti gratia dono sapientiæ est repletus.*

Salomonis

Sic *Salomon*, ut esset pacifice regnaturus, non divitias, non longa hujus mortalitatis curricula, sed *sapientiam à Domino*, quam petiit, *impetravit.*

Et

Jeremiæ

Et Dominus prius verba sua sancta in ore *Jeremiæ* apposuit, deinde super gentes regnaqve constituit.

Christi

Et *Salvator* noster, Dominus Jesus Christus, in medio Doctorum sedit, illos audiens & interrogans, & demum postea prædicavit.

Apostolorum

Sic etiam suos prius erudivit *discipulos*, postea ad docendum alios destinavit.

Cum enim turbas pascere decrevisset, panes fregit, discipulis tradidit, & per eos turbis apponi mandavit. Qvia legis & Prophetarum sacramenta discernendo exposuit, discipulis scientiam infudit, & tantùm illorum mysterium fidelibus dispensavit.

Sic post resurrectionem *sensum Scripturarum aperuit*, Apostolis potestatem contulit, & in orbem universum transmisit.

Virtus & doctrina conspirent in Pontifice.

Multis aliis liqvet clarissimis documentis, quod *Pontifici sola bona non sufficit vita*, ut morum honestate præfulgeat, nisi quoque *sapientia & doctrina*. Cum is debeat cunctos erudire, & nullius esse indigens documentis.

Malus Pontifex Ecclesiæ dedecus.

Itaqve si *virtuosum*, *doctum*, elegeritis, vere nedum beatum, sed beatissimum poteritis nuncupare. Sed si, quod absit, *ignavum*, *desidem*, *stolidum*, *ineptum*, aut aliis *vitiis deditum*: Qvo qvæso poterit beatitudinis titulo decorari?

Potestne major esse abusio, quam quod hominem *moribus perditum*, *scelestum*, *infandum*, *criminibus obrutum*, cogamur uti sanctissimum venerari, Aurelio inqviente in qvadam Epistola. *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet.* Namqve hunc redarguere nullus præsumit. Et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando *pro reverentia ordinis peccator honoratur.*

Pontifex sit vita & doctrina Petrus, non Gehasi, non Judas, non Simon.

Et ideò, si cupitis eum eligere, qui Apostolo debet Petro in sede succedere, talem eligite, qui vere *Petrus* sit, tam *doctrinâ* quam *vitâ*.

Eapropter tota discretione cavendum est, *ne vices Petri committatis Gehasi*, aut *Judæ*, aut *Simoni*, nisi decreveritis, *Christum* revendi, aut *Romæ* iterum *crucifigi*.

Omni enim & summa diligentia tam sublime negotium consumandum est, venerabili *Leone* in quodam sermone dicente. Si in omnibus Ecclesiæ gradibus *prudenter*, *sapienterq;* curandum est, ut in domo Domini nihil præposterum aut inordinatum eveniat: Qvanto magis elaborandum est in *electione* illius, qui super omnes constituitur? Nam totius familiæ Dominicæ ordo pervertitur, si, quod reqviritur in corpore, non invenitur in capite.

Si igitur vultis desolatæ Ecclesiæ restaurare priorem pulchritudinem vel decorem, tam *scientia* quam *vita* eligite *meliorem*. Qvia sapientiam debent Pontificis labia custodire, quia de ore illius lex exqviritur Dei, quia Angelus Domini exercituum est, scribitur *Malachiæ* 2.

Pontifex sit etiam regiminis peritus.

Qvanqvam autem vita celebri eligendus & clara sapientia sit redimitus, sane parum est, neque sufficit, nisi fuerit *regimini aptus expertusq; & singulari prudentia* prædotatus.

Prudens.

Multos quidem conspeximus scientia præclaros, & præclaros moribus, qui tamen, quia *inexperti in regimine*, non minimum defecere.

Expertus.

Qvare dixi, quod convenit tertio, ut is emineat probitate *& experientia*, ut sit regimini & dignitati aptissimus.

Experientia regendi in Pontifice necessaria.

Experientia nempe *regiminis*, scit virtutes extollere, & audaciam præbet crimina coërcendi. Qvæ licet in cunctis sit rerum magistra, præcipue tamen *in tanto gubernationis apice* non modo *oportuna*, sed permaxime *necessaria* est. Si navis *perito* rectori committitur, non facile tempestatibus sive procellis, aut ventorum turbine conqvassatur.

Ne mirum itaqve, si obruitur fluctibus, quando *qui de remo non noverat*, ad gubernaculum collocatur.

Per gradatim rectius ad suprema.

Securius equidem celsa conscendit, qui se in paulo minoribus comprobavit. Et certo procedit vestigio, qui expertus solio potitur accepto.

Propterea *Aristoteles* 6. *Ethic. c. ult.* inqvit, quod *experti circa singula opera bene dijudicabunt*. Qvia per quæ qvaliterqve perficiant, intelligunt. *Experientia* enim ex plurium actuum singularium huma-

humanorum collectione fit in memoria retentorum: Id est, *propria homini* ad vim cognoscitivam pertinens, quæ particularis ratio nominatur. Et sicut *scientia* universalia colligit, sic *experientia* circa particularia negotiatur.

Scientia & prudentia cõspirent in Pontifice.

Et ideo ad recte regimen peragendum *scientia sola non sufficit.* Quia *licet universale cognoscat*, sine experientia autem *particulare ignorat*, in regimen plurimum deficiendo peccabit.

Quoniam recte agere,
bene regere,
sane consulere,
sancteque disponere,
magis in particulari, quam in universali contingit.

Et licet homines *communi ratione* cognoscant, tanquam per id, quod in eis principale consistit: Tamen *per experientiam* de singulari agibili rationem suscipiunt singularem practicam ad id, quod est actualiter peragendum.

Experientia via.

Experientia quidem, ut diximus, *ex pluribus actibus, & longa memoria oritur*, qua promtus, aptusque fit homo plurima operari. Et ideo facultatem recte agendi experientia præbet. Cum scientia aut prudentia sine arte videtur quodammodo convenire. Quare experientia facit artem, inexperientia verò casum. Experti enim in agendo magis proficiunt, ut *Aristotel. primo Metaphys.* inquiebat: Expertos magis proficere videmus, quam inexpertos, scientiam & etiam artem habentes.

Experientia mater prudẽtiæ.

Experti feliciores quam docti.

Ideo *scientifici ubi fuerint inexperti, in regimine multum delinqvunt.*

Scientia absq; experientia in regimine infructuosa.

Unde *præsulem* quemque *prudentem, solertem, expertum, bene sensatum & circumspectum* oportet esse. Propterea inquit *Augustinus* in quodam sermone: *Ad præsularem dignitatem eligi non debuit, qui expertus minora officia gubernare non didicit: Et quia ex noto fit ignoti optima conjectura.*

Quare, *Patres optimi*, qui reipublicæ totius Ecclesiæ debetis rectęq; saneq; consulere, *præterita* placeat *dispendia* intueri, & sic præsentia disponere, ut in futurum *virum* eligendo *probatum* toti possit orbi salubriter providere.

Cum Deo potius, quam cum hominibus tantum factum velitis tractare, & *ante factum discutere.* Quoniam *post factum sera retractio* est, tarda retractio est. Quid turpius, quam quod sapientes quasi insipientes pœniteat sic fecisse. Nimirum indecens est, quod doleant sic fecisse, quorum judicium periclitari non decet. Nullus error aut major aut damnabilior esse potest, quam eorum, quibus nil prodest errasse cognoscere.

Ante factum discutere.

Insipientes pœnitet facti.

Pontifex eligendo, qui non probando sed probatus.

Virum igitur *non probandum sed probatum* eligite. Quia teste devoto *Bernhardo* in quadam epistola, *bonos Romana curia facilius recipere consuevit, quam facere.*

Ro. curia facilius accipit bonos quã facit.

Et, si *dignum* aut *idoneum non* sit *facile comperire*, eum tamen apprehendite, cujus sit *conscientia pura,*
intentio recta,
probitas maturitasq; discreta.

Conscientia Pontificis sit pura.

O quot periculis status Ecclesiæ ponitur! O quot dispendia Petri navicula patitur, *quando præficitur* in pastorem, *qui præesse non debuit:*

Damna ex indigno Præsule oriunda.

Quando imperat, qui revereri non didicit:
Quando ad gubernaculum residet, qui de portu non noverat:
Quando ducatum suscipit, qui, quo pergit, ignorat:
Quando pastoris fert baculum, qui nescit inter oves discernere, dispersas colligere, aut errantes reducere ad ovile.

O quantus, quamque acerbus dolor infigitur animis clericorum, scientia & dignitate pollentium, quando tam sublimis dignitas ineptum suscipit, vel celebris sedes collocavit ignarum?

O quam juste ignis zelus accenditur, ubi *videntibus cæcus præponitur*, & *ager*, ad propria impotens, aliis *immittitur ad medendum.* Hinc enim provenit ovium & pastoris damnatio, qvum sumuntur exempla malitiæ, unde debuerunt spectacula relucere virtutum, & inde vitiorum sentina protenditur, unde caterva debuit pullulare salutis.

Valde absurdum & nimium præposterum, ut imperiti Magistris, novi antiquis, & rudes præferantur immeritis, inquit *Leo* in quodam sermone.

Advertite quæso, *piissimi Domini:* Scissâ navigamus puppi, lacero velo, amissâ

Summa necessitas emendati Pontificis circa tempora Concilii Const.

missâ anchorâ, comminutoque malo: Quam *perito* igitur nobis opus est *remige!*

Ægritudine laboramus pestifera: Quam probato animarum indigemus & medico!

Erramus quasi oves à caulis, nobiscum simul erravere pastores, imo verius, nos post illos: Quam sancto ergo & optimo præsule est necesse!

Luget clerus,
mœret sacerdotium,
squalet sors Domini,
afflictatur religio,
& tota lachrymatur Ecclesia.

Characteres boni Pontificis in Concilio Const. eligendi.

Quis igitur eo, cujus instat electio, *consideratior*, quis *diligentior*, quis *rectior*, quis *prudentior*, quis *fidelior*, aut quis *attentior* esse debet, aut *melior?*

Eligite ideo virum *animo sincerum*, quem nulla propria extollat ambitio.

Eligite *liberum*, quem nulla suffocet violenta cupido.

Eligite *ingenuum*, quem nulla deturpet maculata affectio.

Eligite rectum, quem nulla obliquet sinistra suspicio.

Eligite *pervigilem* & *attentum*, quem nulla à spe deducat curiosa detractio.

Eligite *firmum*, quem nulla concutiat repentina turbatio.

Eligite *invictum*, quem nulla insiliens fatiget tribulatio.

Eligite *probatum*, quem nulla decipiat furtiva intentio.

Eligite eum, qui sit positus ad *mores*,
probatus ad *sanctimoniam*,
mansvetus *ad patientiam*,
rigidus ad *censuram*,
catholicus ad *fidem*,
fidelis *ad commissionem*,
concors ad *pacem*,
conformis ad *unitatem*.
Qui sit in consilio *rectus*,
in judicio *providus*,
in præcipiendo *discretus*,
in disponendo *industrius*,
in agendo *magnificus*,
in loquendo *modestus*.
Qui sit in adversitate *securus*,
in prosperitate *devotus*,
in zelo *sobrius*,
& in misericordia *non remissus*.

Eligite, qui se Regibus Johannem exhibeat,
Ægyptiis Mosen,
fornicantibus Phineas,
Eliam idololatris,
Elisæum avaris,
Petrum mentientibus,
Paulum blasphemantibus,
& negotiantibus Christum.
Qui vulgus non spernat, sed doceat,
divites non palpet, sed terreat,
pauperes non gravet, sed foveat,
minas Tyrannorum non paveat, sed contemnat,
desolatum clerum non spoliet, sed reformet,
marsupia non exhauriat, sed corda reficiat, & crimina corrigat,
famæ provideat suæ, non invideat alienæ,
orandi studium gerat, usum habeat,
& plus orationi confidat, quam propriæ industriæ vel labori.
Eligite eum, cujus sit *sermo* ædificatio, *vita* justitia, *præsentia* gratia.
Qui se benignum & amabilem non verbo sed opere præbeat,
qui modestiam non vultu sed actu exhibeat,
qui sit humilis cum humilibus, innocens cum innocentibus,
pravos dure redarguat,
malignantes coërceat,
& reddat retributionem superbis.

Devotissimo inquiente *Bernhardo* ad Eugenium summum Pontificem.

Oportet formam esse *justitiæ*,
sanctimoniæ speculum,
pietatis exemplar,
veritatis testem,
fidei defensorem,
doctorem gentium,
Christianorum ducem,
pastorem plebium,
refugium oppressorum,
miserorum spem,
pupillorum tutorem,
viduarum judicem,
cœcorum oculum,
baculum senum,
Regum patrem,
cleri ordinatorem,
moderatorem legum,
dispensatorem canonum,
ultorem scelerum,

pra-

pravorum metum,
proborum gloriam,
virgam potentum,
malleum tyrannorum,
ſalem terræ,
orbis lumen,
ſacerdotem altiſſimi,
vicarium Chriſti,
Petri ſucceſſorem,
Chriſtum Domini, & Deum Pharaonis.

O ſi talem videre, ô ſi talem in Dei Eccleſia habere mereremur! O nos feliciſſimos, ſi Chriſti ſponſam cerneremus tantæ ſanctitati commiſſam, aut tam celebri creditam probitati! Qvid namqve quæſo *jucundius*, quid *delectabilius*, quid *ſecurius*, quid *oportunius*, quid *beatius*, aut quid *melius* contingere nobis poſſit, quam habere *præſulem*, *paſtorem & patrem*, cujus devotio atqve fides ad quæque *ſancta*, ad quæque *honeſta* nos alliceret, inflammaret, & traheret!

Qvandoquidem igitur imminens *neceſſitas* requirit & exigit, quemadmodum inqvit *Ariſtoteles III. Ethic.* ut *de meliori* fieri debeat electio: Ideo neceſſe eſt eligere *virtuoſum*, *doctum*, *& aptiorem*, ſi vultis eligere *meliorem*.

Conſiderare quæſo, qualiter ſummus Pontifex debet *intrare*, *vivere & regere*.

Debet *intrare* legitime & canonice. Ideo dicitur *Eligite*.

Debet *vivere* ſancte, & *regere* juſte.

Ideo ad animarum ſalutem & Dei laudem & honorem dicitur: Eligite *meliorem*.

Actus magnæ prudentiæ, plenam habens libertatem, eſt *eligere*. Sed fructus veræ juſtitiæ, cunctam tenens bonitatem, eſt eligere *meliorem*. Eligite ergo *meliorem*. *Electio magnæ prudentiæ.*

Et qvum talis decet, ut nobis ſit Pontifex, *innocens*, *immaculatus*, *doctus*, *probatus & ſegregatus à peccatoribus*, ut dicitur *ad Hebr. VI.*

Ideo eligite, qui ſit velut *Melchiſedech*, *verus ſacerdos antiquiſimi*, qui à dextris ſedeat Domini, & amicus Eccleſiæ tyrannos, ſchismaticos & hæreticos ponat ſcabellum pedum ſuorum, ut habetur *in Pſalmo centeſimo nono*.

Eligite eum, qui poſſit *ſublevare Eccleſiam* deſolatam, deſtitutum *reformare clerum*, diſſentientes vocare principes, & totum conſociare populum Chriſtianum.

Qvod nobis concedat iſte paſtor optimus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit Deus per infinita ſecula ſeculorum. AMEN.

Solen-

Solennissima
sed &
Ponderosissima
hæc Oratio
à
JACOBO
EPISCOPO LAUDENSI
in
Oecumenio Concilio
Constantiæ Germanorum congregato
In splendidissima totius Concilii confluentis corona
sessione publica Synodica
in Ecclesia Cathedrali
In throno sedente
SIGISMUNDO IMPERATORE
Imperiali veste ac pompa cincto
Administrantibus Cæsari
FRIDERICO ELECTORE BRANDENBURGENSI
cum sceptro regali
LUDOVICO Comite de Ottinga
cum pomo sive mundo
WILHELMO Comite de Henneberg
cum corona
ULRICO Comite de Ottinga
cum ense
Adstantibus
Angelo Laudensi
& Petro Hispano
Cardinalibus
Assidente
reliqvo Cardinalium Collegio
inqve illo
ODDONE de COLUMNA
imminentis sibi gloriæ adhuc inscio
summo Pontifice mox futuro,

Spectan-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Spectantibus
Episcopis
Magnatibus
Doctoribus
innumeris
A. M. CCCC. XVII.
d. 8. Nov. die Lunæ
paulo ante ingressum in Conclave
ad eligendum novum Pontificem
cum Concilii applausu habita
Qva
IDEA MELIORIS SUMMI PONTIFICIS
jam jam in Concilio
sub cœlo Germanico
in Imperiali urbe
ex totius orbis voto
eligendi
luculentissime exposita
Nunc
ad resarcienda Concilii Constantiensis Acta
ad Germaniæ decus
Ecclesiasticæ historiæ lucem
Antiquitatis memoriam
Posteritatis emolumentum
Ex Antiqvissimis Codicibus MSCtis
CÆSAREO VINDOBONENSI
ET DUCALI BRUNSVICENSI
A. M. DC. XCVII.
d. 12. Martii
In Academia Julia
in lucem edita
Auspiciis
SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM DUCIS
RUDOLPHI AUGUSTI
SUB AUGUSTISSIMO IMPERIO
LEOPOLDI
CÆSARIS INVICTISSIMI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf